



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,  
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice  
Methodum compendiarum reformationis Ecclesiasticæ à Concilio  
Tridentino factæ continente

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

§. 18. Principium 18. Quæ sunt speciali nota digna non censentur esse  
ablata, nisi expressè nominentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

§. XVIII.

PRINCIPIUM XVIII.

Quæ sunt speciali notâ digna, non censentur esse ablata, nisi expressè nominentur.

*Sensus.*

Hoc est, quando aliquæ Gratia vel Privilegia specialia sibi sunt concessa, non censi debent eidem ablata esse, donec in Bulla aliqua derogatoriâ expressa talium Gratiarum vel Privilegiorum fiat mentio.

*Authoritas.*

Desumptum est ex communi Doctorum sensu, ut testatur Gobat p. 2. thesaur. n. 261.

*Ratio.*

Quia per clausulam generalem non satis ostenditur, velle Pontificem aut Principem revocare hujusmodi Privilegia specialia & aliunde non præsumitur eos adimere velle favore specialibus aliquibus concessos, nisi graves ad hoc faciendæ causæ impellant, quas tamen non habuisse supponendum, si specialem eorum privilegiorum mentionem non faciunt.

*Praxis.*

Hinc deducitur 1. Indulgentias plenarias pro articulo mortis, & pro Defunctis non esse à Paulo V. in Constitutione anni 1606. edita revocatas, cum illarum expressa mentio in Bulla illa non fiat. Ita P. Gobat p. 2. n. 548. cum Diana, Lezana, & aliis.

Deducitur 2. Easdem Indulgentias neque per hanc Formam (revocamus, annullamus, cassamus omnes & singulas Indulgentias, quibuscunque Ordinibus, ac Personis sæcularibus, aut Regularibus quovis modo concessas, confirmatas, aut innovatas) revocari, uti probabiliter docent Lezana, Ferrarius, Alphonsus Leo, Peirinus apud & cum P. Gobat p. 2. n. 620. & seq.

Deducitur 3. Privilegia Religionibus quibusdam cum clausula (quoties literæ revocatoria emanabunt, toties prædictum & validissimum statum restitutas, repositas, & plena-

plenariè integratas volumus) non cenferi debent sublata, sed per hanc vel similem clausulam: Aliis derogatoriis, & in illis clausulis, irritantibusque & aliis fortissimis decretis contrarium etiam pluries concessis, confirmatis, approbatis & iterum iteratis vicibus innovatis &c. qualis tamen clausula quia hactenus non apposita scitur in ulla Bulla, hinc Privilegia supradictarum Religionum nunquam revocata censenda debent, uti doctus quidam Recentior in manuscripto Tractatu de Legibus existimat.

## §. XIX.

## PRINCIPIUM XIX.

## Privilegium Personale adhæret Personæ.

*Sensus.*

Hoc est, quando Privilegium aliquod tantum tantæ Personæ datum est, tum, quocumque Persona migrat, eum Privilegium secum trahit; & si illa omnino moritur, eum Privilegium perit.

*Authoritas.*

Desumptum est ex lib. 6. decret. c. fin. reg. 7. illudque replicant & defendunt Canisius & Dynus in tr. de reg. Juris.

*Ratio.*

Quia cessante causa cessat effectus, ergo, cum causa Privilegii hujus extiterit sola Persona, cui collatum est, rectè fertur, Privilegium tale Personam quocumque comitantem illa etiam extingui.

*Praxis.*

Hinc deducitur 1. Archiepiscopum non posse pallium suum Successori relinquere, uti in cap. Ad hoc 2. de Arch. episc. usu pallii definitur.

Deducitur 2. Potestatem delegatam à Pontifice acceptam cum ipsa morte delegati expirare, uti in cap. Mandati 6. Præsumpt. habetur.

Deducitur 3. Si Clericus moriatur, Domesticos ipsius non gaudere immunitatis privilegio, ut ex l. Etiam 1. ff. soluro Matrim. colligitur.